

quas ab Episcopo suo noluit petere, utpote suspensio. An Episcopus Laudunensis & Martianus incurrerunt ipsi suspensionem?

R. Martianus potuit se pro Ordinibus præsentare Episcopo Laudunensi absque Dimissoriis, ino etiam absque consensu sui proprii Episcopi, si hic suspensionem incurrit ex eo, quia ordinavit Clericos suæ jurisdictioni non subjectos, hæcque censura est publica ac notoria. Ita decisum in Concilio Lugdunensi, ut videre est in Cap. *Eos qui. 2. de temporibus ordin.* in 6. C. D.

CASUS VIII. Junius vacante Sede nominatus ad Canonicatum Lemovicensem, petit a Capitulo Dimissorias pro tonsura, quam necdum receperat, quas & Capitulum concedit, putans, Junium versari in casu a Concilio Tridentino excepto, scilicet quod sit *arctatus occasione Beneficii recepti siue recipiendi*. Num Junius & Capitulum juxta leges agunt?

R. Sunt quidem, qui has Dimissorias & licitas & validas esse existimant; sed potior pars Doctorum, & quidem cum majori probabilitate, defendit, verosimile non esse, quod Concilium hominem necdum prima tonsura insignitum censuerit arctatum ad recipiendam tonsuram occasione vacantis Beneficii: status enim Clericalis a nemine amplectendus, nisi ex vocatione Dei, & nequaquam intuitu Beneficiorum possidendorum; & consequenter tonsura solum iis impertienda, qui Clericatus se mancipiant, ut fideliter serviant Domino, non ex motivo temporali, quale foret obtinendi Beneficia. Et hæc est ipsissima Doctrina Concilii Tridentini *Sess. 23. Cap. 4.* Hinc Concilium *Sess. 7. Cap. 10.* tantum loquitur de Dimissoriis ad Ordines, non ad tonsuram. Sic etiam Authores verba Tridentini, *Arctatus occasione* intelligunt de Clerico tonsurato, habente jus ad vacans Beneficium, necdum tamen Ordinibus initiato, quos in Titulari exigit ejusmodi Beneficium, v. g. vacat Beneficium conferendum cuiquam ex determinata parochia, ex certa familia, post certum tempus servitii in Ecclesia præstiti, & solum reperitur Clericus tonsuratus hisce qualitatibus, bonis insuper moribus & sufficienti capacitate instructus, cui tamen Ordo ex natura aut fundatione Beneficii requisitus deest, hic censetur esse *arctatus occasione Beneficii*, cui proin Capitulum potest concedere Dimissorias ad recipiendos Ordines necessarios. C. D.

CASUS IX. Liefridus adiit Episcopum exterum pro recipiendis Ordinibus absque Dimissoriis, quos & hic contulit.

tulit. Quam poenam incurrerunt tam Liefridus quam Episcopus?

R. Juxta Concilium Tridentinum Episcopus titularis, qui contulit Ordines cuiquam non habenti Dimissorias a proprio suo Episcopo manet suspensus per annum a functionibus episcopalibus. Si vero sit Episcopus habens Diocesim, suspenditur per annum a collatione Ordinum. Ordinatus autem sine Dimissoriis sui Episcopi incurrit suspensionem ab exercitio Ordinum receptorum, quamdiu proprio Episcopo aut legitimo Superiori visum fuerit. *Contra faciens*, ait Concilium *Sess. 14. Cap. 2.* quoad Episcopos solum titulares, *ab exercitio Pontificalium per annum, taliter vero promotus ab exercitio Ordinum sic receptorum, donec suo Prælati visum fuerit, ipso jure sint suspensi.* Quoad Episcopos autem Diocesanos *Sess. 23. Cap. 8.* hæc habet: *Ordinans a collatione Ordinum per annum, Et Ordinatus a receptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* C. D.

## DISPENSATIO in GENERE.

1. Dispensatio est *provida juris relaxatio, utilitate seu necessitate pensata*; aut *juris communis relaxatio, facta cum causæ cognitione ab eo, qui potestatem habet dispensandi*. Unde constat, Dispensationem a Superiore datam absque causæ cognitione ex parte hujus esse illicitam, & ex parte illius, qui eam absque legitima causa obtinuit, in foro conscientiæ esse invalidam. Indubitata juxta S. Bernardum veritas est, quod Superior, quacumque demum auctoritate polleat, non habeat potestatem in lege Ecclesiastica absque justa causa dispensandi, Dispensatioque sic concessa dissipatio potius ac commissæ ab Ecclesia potestatis abusus censeatur, quam vera Dispensatio.

2. Legitimæ dispensandi causæ reputantur utilitas Ecclesiæ, salus petentis Dispensationem, necessitas evitandi notabile scandalum, singulare meritum & dignitas personæ, cui conceditur Dispensatio. Verum Romæ haud raro interveniunt deceptiones ob vulpinam palliationem aut avaritiam supplicantium; & ut ait Rebuffus, Dispensationes in Curia Romana concessæ animo paulisper relaxandi severitatem antiquorum Canonum solum serviunt ad procurandum turpe lucrum iis, a quibus expediuntur aut procurantur; & hinc coram Deo nullæ sunt, & nequaquam securitatem conscientiæ præstant obtinentibus.

3. Soli Superiori competit jus dispensandi in iis, quæ concernunt jurisdictionem ipsius. Sic Papa in universa Ecclesia circa omnia, quæ non nisi juris Ecclesiastici sunt, & quidem ut conservator & interpres disciplinæ Ecclesiasticæ stabilitæ ac fundatæ in Canonibus, Concilium provinciale in provincia, Episcopi in pluribus casibus, & Principes sæculares in materia civili dispensare possunt, & actu dispensant.

4. Antiquitus Dispensationes non nisi post admittam culpam concedebantur; hodie autem petuntur & frequenter obtinentur ad impune transgrediendas leges Ecclesiæ, etiam justissimas. Huic malo ut occurreret S. Augustinus, loquens de indulgentia Ecclesiæ exhibita Donatistis conversis, quos in eadem dignitate, quam occupaverant in hæresi, perflere permittebat, ait, a pastoribus non concedendas esse Dispensationes, nisi evidens sit, mala tolerata per bona ex Dispensationibus provenientia juste compensari. Hinc diligentia & prudentia opus est ad examinanda motiva, ex quibus concedi possit dispensatio.

5. Dispensationes a Papa concessæ non extinguuntur per mortem ipsius. Dispensatio est invalida, si vel obreptitie vel subreptitie fuit obtenta. *Obreptitie* dicitur obtineri, quando in supplicatione allegantur falsa motiva; & *subreptitie*, dum in supplicatione reticetur quædam veritas, quæ necessario fuisset exprimenda.

6. Alia Dispensatio est tacita, & alia expressa. *Tacita* est, dum v. g. Papa Beneficium confert illi, quem scit esse suspensum; aut Princeps officium ei, quem requisitam ad illud per leges ætatem necdum attingisse novit: sic provisi de Beneficio quodam censentur tacite dispensati de inhabilitate ad illud. *Expressa* Dispensatio est, quæ exprimitur per hoc verbum: *dispensamus*.

7. Invalida est quælibet Dispensatio a Papa concessa in iis, quæ sunt mere juris naturalis aut divini. In Gallia, imo hoc tempore in pluribus aliis provinciis nulla Dispensatio habetur pro valida, quam Papa concedit circa ea, quæ principiis & constitutionibus regni aut provinciæ adversari noscuntur, vel circa quæ per Canones ipsi dispensare non permittitur.

8. In hanc rem consulti possunt Auctores præcipui, qui egerunt de Dispensationibus in Genere, ut Chassanæus, Charondas, Pyrrhus Corradus, & speciatim S. Bernardus, in quo materiam istam elucidatam reperies multis argumentis, quæ referuntur in decisionibus titulorum, in quibus de Dispensationibus agitur.

Vide sequentes Titulos de Dispensationibus in specie.

CA-

CASUS I. Demetriades a teneris annis fuit educata in quodam Conventu Monialium Capucinarum: jam per decem annos omnes Monialium austeritates subiit, omniaque communitatis exercitia obiit. Jam Professionem emittere cogitans, id quod omnes Moniales summopere exoptant, petit a Papa Dispensationem, ut id fieri possit absque prævio probationis anno per Concilium Tridentinum requisito.

3. Cum annus probationis sit tantum juris positivi, Papa dispensare potest, derogando in hoc Concilio Tridentino. Verum in Gallia talis Dispensatio a Parlamentis declarari posset tanquam abusiva, utpote contraria articulo 28. Edicti Blesensis; & hinc necesse foret, ut ea confirmetur per literas patentes Regis. *Pontas*.

CASUS II. Offilius in evidenti mortis periculo constitutus rogat suum Parochum, cui confitetur, ut secum dispenset in quatuor aut quinque votis, quæ sæpissime fuisset transgressus, ac valde timeret, ne non & in posterum sit transgressurus, si reconvalesceret.

3. Parochus nullam prorsus habet potestatem dispensandi in his votis, nec ea commutandi; sed tenetur Offilium adhortari ad concipiendum serium propositum ea in posterum melius servandi, aut impetrandi Dispensationem a Superiore. *Licet in articulo mortis*, ait Sylvester, *simplex Sacerdos absolvere possit ab omni casu, id est, peccato, etiam transgressionis cujuslibet voti; non tamen potest dispensare in voto, quia hoc nullibi conceditur; sed tantum absolutio, quæ non est Dispensatio*. Idem docet Navarrus, qui & addit, hanc communem esse Doctorum sententiam. *Pontas*.

NOTA. Cum ferme omnes Regulares habeant potestatem commutandi vota, possent Episcopi circa vota non reservata Papæ eandem potestatem generaliter delegare suis Parochis pro omni casu, ubi valor voti, intentio votantis, aut æqualitas operis, in quod commutatur, sunt dubia.

CASUS III. Potestne Superior legitimus dispensare in iis, quæ sunt præcise juris humani, interpretando legem pro diversitate casuum occurrentium, & declarando, quod præceptum pro bono communi latum hic & nunc non obliget talem personam particularem in his circumstantiis?

3. Potest taliter dispensare in iis, quæ sunt juris humani, non autem in iis, quæ sunt juris naturalis. Circa ea, quæ sunt juris divini, Deus solus potest dispensare. Hinc ne-

H h 2

mo

mo potest dispensare in præceptis Decalogi : nec Papa potest dispensare in legibus, quæ sunt juris divini ; potest tamen ex plenitudine potestatis dispensare in votis, quia tamen circa hoc quidpiam molliatur in præjudicium juris divini ; sicut & Prælati Ecclesiæ in casibus a jure permissis circa vota dispensare possunt. *Pontas.*

NOTA. Cum observatio votorum sit juris divini, Papa non potest dispensare, nisi declarando votum valoris dubii, vel commutando in æquivalens.

CASUS IV. Disputat Theologus quidam cum Canonista, num Papa ex plenitudine potestatis possit dispensare in iis, quæ instituta fuerunt ab Apostolis.

ß. Circa ea, quæ sunt juris naturalis aut fidei, & quæ concernunt essentiam Sacramentorum, Papa non potest dispensare ; in reliquis omnibus autem potest dispensare : Ecclesia enim habet nunc eandem potestatem, quam tempore Apostolorum habuit. Sic actu dispensat circa irregularitatem bigamorum a D. Paulo institutam, vi cujus arcentur a sacris Ordinibus. *Pontas.*

NOTA. Potest dispensare pro casu particulari, non autem potest generaliter abrogare legem apostolicam, legum divinarum declarativam, aut speciali motione Spiritus sancti dictatam, quod semper præsumendum. De cætero non videtur, quomodo supponi possit, ea, quæ pertinent ad jus naturale, ad fidem, aut ad essentiam Sacramentorum, instituta esse ab Apostolis.

## DISPENSATIO in MATRIMONIO.

1. *Dispensatio in Causis matrimonialibus est impedimenti matrimonialis sublatio* : quocirca dispensare in hoc genere est contractus matrimonialis obicem tollere. Impedimentum autem matrimonii vel est dirimens, vel impediens : Impedimentum *dirimens* est, quod invalidum reddit matrimonium ; & in hoc impedimento solus Papa dispensare potest : *impediens* est, quo quis peccat contrahendo matrimonium non obtenta prius ab Episcopo legitima Dispensatione, licet validum sit matrimonium. Concilium Tridentinum expresse dispensari prohibet in secundo gradu, nisi inter magnos Principes, & ob bonum publicum. Hoc Concilii decretum etiam observatur in Gallia : Tolerata ibi quidem fuit aliquando Dispensatio quædam Pontificia in primo gradu affinitatis ; de validitate tamen aut nullitate hujus matrimonii nihil pronuntiatur fuit. Nihilominus Papa dispensare potest in primo

primo affinitatis gradu lineæ collateralis ; quia impedimentum istud est tantum juris Ecclesiastici.

2. Dispensatio matrimonii se semper extendit ad utramque partem matrimonium contrahere volentium, etsi ea ab una tantum parte petita fuerit, alteri etiam inscia.

3. Duplici modo dispensare potest Papa, *in forma gratiosa* scilicet, id est, absolute & de præsentis dispensando ; & *in forma commissoria* ; committendo nimirum rem Officiali Diocesano, ut examinet veritatem expositionis.

4. In impedimentis impediens dispensare potest quilibet Episcopus. Quoad reliqua impedimenta autem insistendum consuetudini cujuslibet Diocesanos, quin ullus Episcoporum amplio rem sibi in hoc potestatem arroget, quam prædecessores ipsius.

5. Ad validitatem dispensationis in consanguinitate vel affinitate sufficit, si ex duobus gradibus diversis Papæ exponatur remotior.

6. Si pro dispensatione supplicantes sunt ex diversis Diocesis, id in supplicatione necessario debet exprimi ; cum Rescriptum semper mittatur ad Officialem Diocesanum illius Diocesis, in qua degit puella.

7. Officialis non habet jus examinandi causas Rescripti, sed solummodo, utrum exposita in supplicatione veritate nitantur ; & si ita, dispensationem in Rescripto contentam tenetur exequi. Si Officialis, cui consignatum est Rescriptum, interea obierit, dispensatio rata haberi potest a Successore ejusdem.

CASUS I. Polyxenes contraxit matrimonium cum Publia ; sed cum aversionem quamdam concepisset adversus conjugem suam, illud non consummavit ; imo obtenta Romæ dispensatione ex causa, quæ videtur admodum justa, paulo post duxit Mariam.

ß. Male petiit Polyxenes hanc dispensationem, quam juxta multos Theologos nec Pontifex concedere potuit ; multo minus potuit eam exequi : & si nondum contraxisset hoc alterum matrimonium, prudens ac doctus Confessarius non deberet ipsi permittere usum hujus dispensationis, imo sub denegatione absolutionis obligare, ne uteretur : cum enim agitur de valore Sacramenti, semper ad amissionem sequendum est id, quod est tutius. *Pontas.*

CASUS II. Odulfus Religiosus professus, cum omnes ejus fratres occubuissent in bello, nec superesset, qui propagaret stemma suum a sublimiori potestate independens, obti-

obtinere a Papa dispensationem relinquendi ordinem & contrahendi matrimonium.

β. Tuta conscientia potest uti hac dispensatione: Papa enim ex plenitudine potestatis, quam habet in Ecclesia, potest pro bono Ecclesie aut salute fidelium hujusmodi dispensationem concedere. Si spectentur omnia, quae constituent rationem solennitatis in voto, & per quae votum solemniter distinguitur a simplici, ea juris solum humani esse dignoscuntur: Ecclesia enim instituit hanc solennitatem: *Voti solennitas*, ait Bonifacius VIII. in quadam constitutione, *ex sola constitutione Ecclesie est inventa*. Facta si consulamus, Coelestinus III. dispensavit cum Constantia Moniali, filia Rogerii VI. Regis Siciliae, quae nupsit Henrico VI. filii Friderici II. Babarossae. Sic & Benedictus IX. similem dispensationem concessit Casimiro Monacho Cluniacensi, postea Regi Poloniae. Accedit, quod haec sit sententia plurimorum Theologorum & Canonistarum, licet fors non sit S. Thomae; quem tamen S. Doctorem explicare facile est, & aliunde constat, eum hac in re variasse. *Pontas*.

CASUS III. Flavius post mortem uxoris suae Mæviae vult ducere Bertham, defunctae Mæviae ex primo marito filiam. Potestne id fieri salva conscientia, si in hunc effectum obtineat dispensationem Romanam? Id si non liceat, cogitat contrahere cum sorore uxoris suae defunctae: num fors hoc propositum suum exequi poterit ope dispensationis?

β. *Ad 1.* Flavius non potest tuta conscientia ducere filiam uxoris suae ex primo marito. Sic sentiunt plures graves Theologi, juxta quos nec Papa potest dispensare in primo gradu affinitatis lineae rectae, in quo comprehenduntur 1. *Vitricus* seu maritus uxoris, quae ex priori thoro concepit liberos, & *privigna* seu filia ex priori thoro. 2. *Socer* seu pater uxoris respectu mariti, aut pater mariti respectu uxoris, & *nurus* seu uxor filii. 3. *Noverca* seu uxor patris respectu prolium, quos genuit ex alio thoro, & *privignus* seu filius, quem pater genuit ex primis nuptiis. 4. *Gener* seu maritus filiae, & *Socrus* seu mater mariti respectu uxoris, aut mater uxoris respectu mariti. Ratio horum Theologorum est; quia affines ascendendo in linea recta taliter tenent locum patrum ac matrum, etsi revera non sint, ut affines descendendo ipsis debeant reverentiam incompatibilem cum aequalitate, quae esse debet inter conjugatos in usu matrimonii. Et haec est praxis universalis omnium tribunalium in Gallia. Sic vir quidam illustris Roma obtinuit dispensationem ad contrahendum matrimonium cum suae uxoris

uxoris defunctae ex priori marito filia; sed Parlamentum Rothomagensis declaravit eam dispensationem esse abusivam ac subrepticam, ejusque usum sub poena capitis interdixit.

β. *Ad 2.* Flavius potest cum dispensatione ducere uxoris suae defunctae sororem; quia in linea indirecta seu collateralis Papa potest dispensare circa omnes gradus, nec primo excepto. Sic Julius II. concessit Henrico VIII. dispensationem ad ducendam Catharinam Arragoniam, sui Fratris Arturi relictae viduam; & haec dispensatio pro valida agnita est a Clemente VII. & a celeberrimis Europae Universitatibus. Ad haec Maria de Gonzaga Clivensis per dispensationem Pontificiam successive nupsit duobus fratribus Sigismundo & Casimiro Regibus Poloniae. Similem dispensationem obtinuit etiam Comes de Staremburg. Denique ad plenam hujus materiae elucidationem addo, Papam valide posse dispensare in omni gradu affinitatis etiam lineae rectae, excepto solum primo gradu; quia non videtur, quod inferior in secundo gradu lineae rectae affini suo ascendendo plus reverentiae ac subjectionis debeat, quam duo affines in primo gradu lineae collateralis sibi invicem debent. Interea huic sententiae haud plus roboris attribuo quam simplici opinioni, cum quidam Theologi contrarium teneant. Neque Roma unquam conceditur dispensatio in affinitate lineae rectae quocumque demum gradu, nisi motiva urgeant gravissima. Imo, etsi gravissimis ex rationibus Romae concederetur, in Gallia tamen juxta jus receptum nullius esset auctoritatis. *Pontas*.

NOTA. Dispensatur aliquando eum liberis illegitimis, sed inausulto plerumque eventu.

CASUS IV. Pammachius, postquam carnaliter peccaverat cum Titia, vult ducere Mæviam Titiae filiam.

β. Absque discrimine salutis suae non potest petere dispensationem: si tamen obtenta dispensatione actu jam duxisset Mæviam, in bona fide relinquendus, & nequaquam ad separationem cogendus est. *Affinitas*, ait Sylvius, *ex illicito congressu proveniens in nullo gradu impedit matrimonium, nisi jure positivo*; & addit hanc rationem; quia *filius non inclinatur naturaliter ad exhibendam reverentiam matri, quam pater cognovit extra matrimonium; neque nascuntur ex fornicationibus amicitiae, sed odia*. *Pontas*. Vide *Cas.* 3.

CASUS V. Arcadius & Maria ex Dicecesi Parisiensi affines in quarto gradu volunt contrahere matrimonium; Arcadius

dius autem solus Romæ supplicat pro dispensatione, eamque obtinet.

ꝑ. Hæc dispensatio subscripta ab Officiali, cui consignata est, sufficit pro utraque parte contrahente: omnis enim dispensatio se semper extendit ad id, quod necessario eidem annexum est. *Pontas.*

CASUS VI. Wandregifilus & Ludovica consanguinei in quarto gradu commiserunt incæstum animo contrahendi matrimonium; aut actu contraxerunt ea intentione, ut facilius obtinerent dispensationem Romæ. Dein petunt dispensationem, & in supplicatione exponunt gradum consanguinitatis & commissum incæstum, non tamen exprimunt intentionem habitam in perpetratione peccati.

ꝑ. Tenentur in conscientia exprimere hanc perversam intentionem; & ni fiat, dispensatio obtenta erit subreptitia & nulla. *Si quis inter gradus prohibitos, inquit Concilium Tridentinum, matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter hoc fecerit, si quidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subiiciatur poenis: non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempserit.* *Pontas.*

CASUS VII. Casparus contraxit matrimonium cum Martina, et si sciverit intercedere impedimentum dirimens, quod tamen latebat uxorem. Paulo post petiit Romæ dispensationem, asserens in supplicatione, sibi utrisque incognitum fuisse impedimentum.

ꝑ. Certum est, hanc dispensationem esse obreptitiam: Sacra enim Sedes nunquam impertitur ejusmodi gratias, nisi sub hac conditione expressa, vel saltem tacita: *Si preces veritate nitantur.* *Pontas.*

CASUS VIII. Nobilius & Daniela affines in quarto gradu petierunt Romæ dispensationem, allegantes in supplicatione, quod ex mutua, qua usi sunt, consuetudine, Daniela timenda sit infamia. Id tamen verum non erat petitionem dispensationis; sed familiaritas illorum turpis primum est subsecuta, quamvis præcesserit Datum dispensationis, aut saltem subscriptionis, factæ ab Officiali.

ꝑ. Inter diversas opiniones ea in conscientia securior, ac intentioni Pontificis conformior est, quæ vult, Rescriptum censendum esse obreptitium, si causa in supplicatione explicata non existit eo tempore, quo fit supplicatio. *Pyrr-*

hus

hus Corradus censet, suspendendam esse subscriptionem ac executionem dispensationis, donec aliæ literæ Roma obtineantur sub forma, *perinde valere.* *Pontas.*

CASUS IX. Bertulfus & Anna consanguinei in quarto gradu obtinuerunt dispensationem a Papa; brevi autem post obtentam dispensationem Bertulfus commisit incæstum cum Anna.

ꝑ. Vi hujus dispensationis non possunt contrahere matrimonium, nisi prius obtinuerint Roma aliquod *Perinde valere* per novam supplicationem, in qua turpe, quod habuerunt, commercium exprimi debet. Id tamen, licet sit tutius in conscientia, absolute necessarium non est. Et si Pontifex ipse dispensationem concessit *in forma gratiosa*, ea valida esse censetur, dummodo aliunde non laboret vitio subreptionis aut obreptionis, neque contineat hanc clausulam: *modo inter eos copula non intercesserit.* *Pontas.*

CASUS X. Carolomanus vult ducere Henrieta, cum ejus sorore Joanna peccaverat: obtinet hanc in rem dispensationem Pontificiam, quæ consignata erat Officiali cum mandato eam exequenti, si vera repererit, quæ in supplicatione allegantur. Carolomanus Rescriptum Officiali offert subscribendum; sed ante subscriptionem denuo peccat cum Joanna.

ꝑ. Si in Rescripto expressis terminis continetur, dispensationem fore nullam casu, quo Carolomanus relabatur, non potest uti hac dispensatione. Sed si non addita est hæc restrictio, poterit ea uti absque novo quodam *Perinde valere.* *Non indigent*, ait Pyrrhus Corradus in materia dispensationum versatissimus, *nova dispensatione respectu posterioris & reiteratæ copulæ; & ita est notoria praxis & observantia, quæ nunquam contrarium admisit, sicut fatentur omnes antiqui Curiales.* *Pontas.*

CASUS XI. Ascanius & Livia impetrarunt Roma dispensationem in impedimento affinitatis: in Supplicatione allegabant, quod secum invicem carnaliter peccaverint & quod absque contractu matrimoniali Livia exponeretur infamiae, & nunquam amplius reperiret conjugium: non tamen peccarunt, licet mutua familiaritas, & libera nimium frequentatio ansam dederit violentis præsumptionibus.

ꝑ. Juxta Sylvium & octo alios, quos allegat, Auctores dispensatio est valida. Verum Pyrrhus Corradus cum aliis sentit oppositum, horumque sententiæ ex eo maxime insistendum est; quia agitur de valore dispensationis, & consequenter etiam de valore matrimonii. *Pontas.*

H h 5

Nota.

*NOTA.* Videtur satis esse in hoc casu, si recurratur ad Episcopum, quod in omnibus ejusmodi casibus valde dubiis fieri potest.

**CASUS XII.** Crescentius & Julia consanguinei vel affines in quarto gradu obtinuerunt Roma dispensationem pro tertio gradu, quem bona fide allegarunt in supplicatione.

*R.* Valet hæc dispensatio; quia, si Papa dispensavit in tertio gradu, a fortiori dispensasset in quarto gradu. *Pontas.*

**CASUS XIII.** Alfredus & Lucia consanguinei in tertio & quarto gradu petunt dispensationem, & exponunt Papæ simpliciter, se esse consanguineos in quarto gradu.

*R.* Dispensatio obtenta est legitima, possuntque ea uti; quia sufficit exprimere gradum remotiorem. Nihilominus si foret periculum scandali, aut res ad forum contentiosum esset deducenda, dispensatio deberet fieri in gradu propinquiore. Multo magis in libello supplicis deberet exponi gradus propinquior, si hic esset primus aut secundus; alias juxta Pyrrhum Corradum nulla foret dispensatio. *Pontas.*

*NOTA.* Etsi hæc responsio sustineri possit circa gradum quartum in tertium, ubi ex parte dispensantis non est major difficultas, id tamen non est verum de tertio in secundum, multo minus de secundo in primum.

**CASUS XIV.** Exuperius vult ducere consanguineam suam in tertio gradu: ille autem, cui commissio data fuerat instruendi supplicationem, pro tertio allegaverat quartum gradum.

*R.* Hæc dispensatio est obreptitia, & consequenter inutilis; quia in supplicatione non reperitur, quod præprimis debuisset exprimi. *Pontas.*

**CASUS XV.** Pomponius postquam peccaverat cum Joanna Dubois Parochiana ad S. Leopoldum affine sua in secundo gradu, petiit dispensationem. Sed Agens per errorem in supplicatione loco Joannæ scripsit Annam.

*R.* Etsi regulariter loquendo in materia dispensationum error cadens circa nomen habeatur pro errore essentiali ratione abusuum, qui contingere possent; si tamen certum est, dispensationem destinatam esse pro Joanna, error circa nomen non obest, quo minus Officialis hanc dispensationem possit exequi. *Si quis*, ait Justinianus Imperator Instit. Lib. 2. tit. 20. in nomine, cognomine, prænomine, agnomine legatarii testator erraverit, si de persona constet, nihilominus valet; idemque in heredibus (instituentis) servatur, Et recte: nomina enim significandorum hominum gratia reperta sunt, qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest. *Pontas.*

CASUS

**CAUSIS XVI.** Odilo ex Diocesi Senonenfi obtinuit Roma dispensationem ad contrahendum matrimonium cum Victoria consanguinea sua in tertio gradu ex eadem Diocesi. Sed dispensatio Roma directa est ad Officialem Sylvanectensem; quia Agens per errorem in supplicatione scripserat *Senlis* seu Sylvanectum pro *Sens* seu Senones.

*R.* Hic error utpote essentialis Rescriptum reddit nullum; & Officialis sylvanectensis nec potest nec debet exequi hoc Rescriptum. Hinc nova dispensatio petenda est. Ratio est; quia juxta stylum, usum ac mentem Cancellariæ Romanæ intentio Papæ non est alia, quam dispensationem dirigendi ad Officialem dicecesanum contrahentium. *Pontas.*

*NOTA.* Pontius & Diana sentiunt oppositum; quia circa Rescripta major attentio habenda ad intentionem Papæ quam ad terminos Rescripti; intentio autem Pontificis semper est committendi executionem dispensationis proprio impetrantium Ordinario, quiscumque demum sit. Et si alius nominetur in Rescripto, ac supplicantes in suo libello Romam misso declararunt, sique hi fateantur, se veram suam Diocesim indicasse, soli scribæ Romano imputandus est error, qui Rescriptum non invalidat. Et praxis huic sententiæ conformis viget in Gallia, ut notat Ducaffe in praxi jurisdictionis Ecclesiasticæ part. 2. cap. 4. n. II. C. D.

**CASUS XVII.** Hilarius promisit Marthæ uxori Balduini, se eam ducturum post mortem mariti. Facto promisso cum ea peccavit, prolemque, quam ex hoc adulterio produisse haud dubitabat, ipse e sacro fonte suscepit. Mortuo Balduino duxit Martham absque ulla dispensatione.

*R.* Hoc matrimonium nullum est ex duplici impedimento dirimente: unum enim oritur ex adulterio commissio cum promissione futuri matrimonii post mortem mariti. Alterum est cognatio spiritualis, quam Hilarius contraxit ex eo, quod e fonte Baptismali levaverit prolem Marthæ. Unde consequitur, Hilarium & Martham se invicem separari debere quoad thorum, eosque vivere debere instar fratris ac sororis, usquedum obtenta duplici dispensatione de duplici impedimento de novo contraxerint. Tria hic observanda veniunt. 1. Quoad impedimentum cognationis spiritualis utpote publicum recurrendum est ad Datariam, ac utriusque nomen & cognomen unacum nomine infantis ab Hilario e fonte baptismatis suscepti in supplicatione exprimendum est. 2. Quoad impedimentum criminis, cum sit occultum, ad eunda Pœnitentiaria testis nominibus, mentione tamen facta de dispensatione super impedimento cognationis spiritualis vel jam obtenta vel obtinenda. 3. Omnibus mediis, quæcumque

cumque Christiana prudentia suggerere poterit, curandum, ne proles ex adulterio nata succedat in bona Balduini, cum præiudicio reliquarum prolium legitimarum. *Pontas.*

**CASUS XVIII.** Victorinus & Joanna cum vellent nubere, Parochus eorum sciens inter eos intercedere impedimentum affinitatis dirimens, quod tamen contrahentibus manifestare non posset, eorum nomine impetrat dispensationem in Curia Romana, id ipsis prorsus ignorantibus.

*R.* Cum hoc Rescriptum sit meræ gratiæ, habet suum effectum, etiamsi illi, quibus concessum est, pro eo non supplicaverint. Hinc tale matrimonium est validum, si dispensatio sic obtenta debito modo fuerit executioni mandata. *Pontas.*

*NOTA.* Parochus ex notitia Sacramentali, vel alias secreta inutili pro foro externo, non tenetur procurare dispensationem, sed potest contrahentes relinquere in bona fide.

**CASUS XIX.** Titus Diocesanus Aurelianensis, & Julita Diocesana Bleffensis consanguinei in quarto gradu, & ambo pauperes obtinuerunt Roma dispensationem *in forma pauperum*, attestante de eorum paupertate solo Officiali Aurelianensi, non vero Bleffensi.

*R.* Ut hoc Rescriptum sit legitimum, necesse est, ut Titus jam per decem annos commoratus fuerit in Diocesi Aurelianensi, & Julita per duos; idque temporis spatium exprimitur in attestazione Officialis Aurelianensis: alias absolute requiritur, ut Officialis utriusque Diocesis testetur de paupertate. *Pontas.*

**CASUS XX.** David vult ducere Julianam consanguineam suam in quarto gradu, petitque dispensationem *in forma pauperum* ab Episcopo suo, qui a tempore immemoriali dispensat in hoc gradu in casu paupertatis. Constat tamen, quod David & Juliana possideant bona, quorum valor æstimatur nongentis florenis, nec gravantur ullis debitis. Potestne Episcopus dispensare *in forma pauperum*?

*R.* Quamvis juxta Jurisconsultos nomine pauperum veniant tantum illi, qui minus quam quinquaginta aureos habent, communiter tamen pro talibus habentur etiam ii, qui vivunt *ex labore manuum*. Hinc Episcopus in tali casu poterit dispensare. Cum autem plures petant dispensationem *in forma pauperum*, qui tamen satis commode vivunt, Episcopum in ea concedenda non adeo facilem esse oportet. In hoc autem casu, cum census ex memorata summa imo etiam ex notabili non possit sufficere ad sustentationem duarum personarum

sonarum conjugatarum & ad ferenda onera civilia & domestica, non est dubitandum, quin sint in casu talis dispensabilitatis. Quia vero quis potest ditescere ex solo labore manuum, & industria, cavendum ne allegetur præsentia paupertas, sed veritas exponatur absque omni dissimulatione. *Pontas.*

**CASUS XXI.** Meinradus nupturus Antoniaæ consanguineæ suæ in tertio gradu obtinet ab Officiali Diocesano attestatum de paupertate, prout & re ipsa pauper erat. Sed accepto Rescripto Pontificio ad ambos devolvitur pinguis hæreditas. Meinradus nihilominus ab Officiali subscribi petit dispensationem, eaque subscripta ducit Antoniam.

*R.* 1 Si Officialis scivit accessionem hæreditatis, non potuit subscribere Rescriptum, quod semper continet has clausulas: *Si preces veritate niti repereris, & dummodo pauperes & miserabiles existant.* 2. Matrimonium est invalidum; quia causa, ex qua concessa fuit dispensatio, non amplius existit, cum subscriberetur Rescriptum. Si etiam hæreditas ipsis primum advenisset post subscriptionem dispensationis, etiam plures defendant, posse contrahi matrimonium, in conscientia tamen securius est, se conformare opinioni eorum, qui tenent oppositum, cum utriusque sententiæ sua non desit probabilitas. *Pontas.*

*NOTA.* Censio, sufficere existentiam paupertatis tempore Dati Romani.

**CASUS XXII.** Majoricus vir dives supplicat Romæ, ut possit ducere Constantiam suam in tertio aut quarto gradu consanguineam, pauperrimam, & jam tricenariam, sic ut difficulter alias sit repertura connubium. Obtenta dispensatione, eaque ab Officiali subscripta desertur Constantiæ hæreditas, cujus annui reditus sunt 1500. floreni.

*R.* Diversitas opinionum in hoc casu dispensationem potest reddere dubiam; & juxta benigniorem Constantia potest uti hac dispensatione: contraria tamen opinio tutior est in conscientia. Nihilominus videtur sufficere, si dispensatio confirmetur ab Episcopo. *Pontas.*

*NOTA.* Hæc sententia rigidiorum nec a ratione, nec ab autoritate directa est probabilior.

**CASUS XXIII.** Junianus filius unicus Ludovici volens contrahere cum Bernardina consanguinea sua in quarto gradu obtinet consensum patris; qui tamen, etiam ditissimus, absolute recusat quidpiam dare filio in dotem, quia prævidebat,

debat, filium nihilominus nupturum Bernardinæ. Junianus proin, cum videret se destitutum omnibus bonis, & puellam quoque valde mediocris esse fortunæ, petit & obtinet dispensationem *in forma pauperum*.

℞. Junianus non potest haberi instar pauperis, etsi omnibus bonis destitutus sit; hinc & dispensatio obtenta sub falso prætextu paupertatis habenda est pro invalida. *Non dicuntur pauperes*, ait Felinus, *quos parentum opes sustentare possunt; quia pater tenetur alere filium*. Et addit: *Divitiæ patris arguunt divitias filii, etiam nihil actu habentis... quia censetur eadem persona cum patre*. Pontas.

Nota. Sentio oppositum. Sola enim spes honorum incertorum futurorum non facit actu divitem.

CASUS XXIV. Dinamius volens ducere consanguineam suam in quarto gradu in supplicatione allegat, puellam esse pauperem, seque eam ex integro dotaturum, aut dotem ejus aucturam; licet ipse pauper esset, eamque dotare non posset nisi subsidio cujusdam amici. His allegatis obtinet dispensationem.

℞. Quævis supplicatio Dinamii quoad litteram accepta vera non sit; quia tamen hæc falsitas non afficit essentiam dispensationis, eam non reddit nullam. *Qui facit per alium, juxta regulam juris, perinde est ac si faceret per se ipsum*. De in Papæ parum interest, si ve puella dotetur a Dinamio si ve ab alio, dummodo dotetur. Pontas.

CASUS XXV. Berchorius & Martina contraxerunt matrimonium invalidum ob impedimentum dirimens, cujus nullam habuerant notitiam. Potestne Superior juste dispensare in hoc casu, ubi bonum commune id exigit, ne ex separatione conjugum nascatur scandalum? Aut quæ sunt aliæ causæ legitimæ dispensandi?

℞. Potest Superior in hoc casu dispensare. Aliæ causæ legitimæ sunt v. g. dum in loco, ubi quis degit, non reperitur persona æqualis conditionis, aut eorundem natalium: dum per tale matrimonium graves lites aut inimicitia extinguuntur: dum vir dives vult ducere pauperem consanguineam, aut eam dotare, quæ alioquin manere deberet innupta, aut sine dote. Breviter causæ dispensandi ad sequentes reducuntur: 1. Angustia loci. 2. Extinctio litium. 3. Dos incompetens aut dotis defectus. 4. Ne filia innupta maneat. 5. Ad vitandam infamiam ob copulam prius habitam. 6. Conservatio amplissimarum in eadem cognatione divitarum. 7. Illustris familiæ in eodem sanguine conservatio. 8. Excellentia meritorum supplicantis. 9. Proles ex consanguinea bona fide suscepta. Pontas.

CASUS

CASUS XXVI. Gordianus volens ducere Margaritam consanguineam suam in quarto gradu obtinet a Papa dispensationem, quamvis in sua Supplicatione nullam omnino allegaverit causam, quæ videatur sufficiens.

℞. Tata conscientia potest uti hac dispensatione; si ve dein quia solvit copiosiore taxam, ad causas pias applicandam; si ve ob alias causas legitimas, quas Papa potuit habere concedendo dispensationem. Sufficit, si in Rescripto Pontificio contineatur: *Et certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus*. Interim tamen Papa nunquam solet concedere tales dispensationes, quin impetrantibus satis notabilem taxam imponat. Pontas.

Nota. Dispensatio valida est; sed, quod attinet motivum pium, non caret omni specie mali, quam Apostolus vitari jubet. Non improbaretur auctor taxa, si juberetur expendi in pauperes loci, in quo contrahunt personæ.

CASUS XXVII. Aristus Officialis Episcopi nescit, qui se gerere debeat salva conscientia in causa dispensationis Pontificiæ, aut Mandato *de dispensando* in impedimento dirimente consanguinitatis Marcum inter & Paulinam consobrinos. Id quod ipsi scrupulum movet, sunt hæc verba contenta in Rescripto Pontificio: *ex certis rationabilibus causis*.

℞. Officialis nec potest nec debet examinare, utrum causæ dispensandi sint legitimæ & sufficientes, sed solummodo veritatem allegationum, quam si in supplicatione reperit, tenetur exequi mandatum. Pontas.

CASUS XXVIII. Julianus & Natalia consanguinei in tertio gradu obtinuerunt dispensationem ad contrahendum matrimonium; ea etiam subscripta fuit ab Officiali. Sed Parochus deprehendit, falsas ab ipsis ac illegitimas causas fuisse allegatas ad obtinendam dispensationem.

℞. Si Parochus certus est, quod allegata in supplicatione sint falsa, prudentia & charitas exigunt, ut hac de re moneat Episcopum, vel Vicarium Generalem aut Officiale, ut fiat vel inhibito vel permisso celebrandi matrimonium; aut si prorsus & absolute convictus sit de nullitate Rescripti, cum ipse non possit assistere tali matrimonio, debet rogare Superiorem, ut Benedictio nuptialis committatur alteri. Eodem modo Parochus agendum esset, si Julianus foret Dominus territorialis Parochiæ, aut quidam ex Magnatibus. Quod si Parochus ipsemet esset Officialis, ad quem directa est dispensatio plene ac absolute a Pontifice concessa, jure eam examinaret, an non sit obreptitie aut subreptitie obtenta; & si alterutrum detegeret, non posset exequi Rescriptum: a fortio.